

Ill/me ac Reverendissime Domine

Certam facimus Ill/am D.V. quomodo Reverendissimus Pater Generalis visitationem suam in nostro Monasterio de Gentilino perfecit, et in ea Reverendum Patrem Provincialem personaliter assistentem pristinae jurisdictioni cum omnium nostrum applausu restituerit. Quod sane cum maxima ipsius aedificatione factum est, cum nos invenerit non solum ad pacem et concordiam dispositos, verum etiam in charitate firmiter radicanos. Illud totum Deo attribuimus, et Ill/mae D.V. cui gratias immortales rependimus, quod misericordia et compassione mota erga pauperulam nostram Galliae provinciam tantis discordiae fluctibus et procellis undique agitatum, voluerit delegare iudicem idoneum Superiorem nostrum naturalem, qui nullis laboribus, fatigationibus et itineribus perterritus, viribus suis, imo propriae vitae noluit parcere, ut navem ferme demersam ad portum tranquillitatis et pacis reduceret; quod fecit, Dei ope adjutus. Idcirco summopere gaudemus et approbamus quaecunque fecit tam in Capitulo generali quam etiam in dicto monasterio nostro Gentiliniensi, promittentes quod Paternitati suae R/mae et R/do Patri Provinciali perfectam obedientiam in posterum exhibebimus, nec non Deum opt.max. pro vestra incolumitate continuo deprecabimur. Ex monasterio nostro Gentiliniensi 23/a novembris 1618.

Ill/mae ac Reverendissimae D.V.

Humillimi atque obedientissimi in Christo filii

f Deserre prior

25 fr.Jacobus Suerinus subpr.

fr.Benedictus Sononus fr.Salomon.

fr.Franc.Char.Desbiez fr.Anthonius Matheus.

fr.Bernardus Estella.

fr.Joannes Colardus.